

OKY. 59. 4.

26

EXERCITIVM PIETATIS LXV.
SIVE PIA AD S. C. COLLATIO SIMVL
GC TE OCTO ENIUS
Exercitio

THEMATIS DE
VSV PHILOLOGIÆ

*in explicanda S. S. ad Hiobi XIX, 24. Psal. XXXVI, 9.
Lucæ IV, 18. Esa. LXI, 1.*

QVOD

P R A E S I D E

Rectore Gymnasi Academici Anhaltini

HENR. IAC. VAN BASHVYSEN,
S.S. Theol. D. ejusque & Ling. Or. atque Historiarum
Prof. Ord. atque Scholæ Servest. Sena-
toriaæ Insp ectore

A. D. XXIII. Januar. MDCCXXXIV.
ab hora VIII. - XI. matut.
inter Commititones defendet,

CHRISTIANVS AVGVSTVS HANDT,
Zicensis S. S. Theol. Stud.



26

S E R V E S T Æ,
Typis CHRISTIANI BÖHMII, Illustr. Gymn.
Anhalt. Typograph.

EXERCITI
TATIS LIBR.
VIRO
PLVRIMVM REVERENDO ET DO-
CTISSIMO

DN. IOH. HENRICO
RVETSCHIO,
THEOLOGO SOLIDISSIMO
ET
JVDAICARVM ANTIQVITATVM
AMATORI MAXIMO
PATRONO SVO COLENDO

*In sui commendationem
Has studiorum suorum primitias*

D. D. C.

CHR. AVG. HANDT,
Respondens.

P R A E F A T I O .
LECTORI
PHILOLOGIÆ AMATORI

S. P. D.
HENR. IAC. VAN BASHVYSEN, D.

A *pologiæ* quovis tempore licitæ
fuerunt, hinc earum inopia
non laboramus; Ast quid di-
cis, numne dantur homines qui se-
culo hoc Eruditissimo literas pul-
chras, ut Galli vocant, contemne-
re audent? Quas tam docte defen-
derunt

derunt Bocharti, Spanhemii, Græ-
vii, Gronovii, audi hujus verba in
Or. de rat. Stud. suorum. p. 49. Non
ita fui insulsus, non ita vecors;
Ut maluerim aberrare ad stagnan-
tis undæ amurcam, quum contem-
plarer profuentem puramque a-
quam: Sed optavisse potius, quam
effecisse me jactare possum, ut utri-
usque Linguae indolem pondusque
& elegantiam conciperem; Barthii,
Bergeri, aliquique, & ex professo
olim Coll. meus conjunctissimus,
in Gymn. Illustr. Hanoviæ, Theo-
dorus Hasæus, Or. elegantiss. de
felici connubio Literarum sacr. &
Humaniorum: Medicos laudatos,
qui hæc laudarunt, Jctos, to-
tos se eis devoentes recensere
pos-

possem, nisi id fecisset Fil. meus
natu major Tr. de *Philol. Uſu in o-*
mnibus disciplinis, & alii Viri quo-
rum cineres & umbram veneror.
Inveniuntur, sed eorum insidiæ sunt
clandestinæ, fugiunt chartam &
lucem: Sed abducunt a ductore a
Serenissimis constituto; Hinc Col-
legia mea olim, tam frequentia
languent: Pauci sunt, qui æsti-
ment quas Professione Eloq. va-
cante, doceo, Antiquitates Roma-
norum, pauciores qui ad Profess.
meam proxime pertinentes, Græ-
cas, paucissimi qui Hebræorum ri-
tus, Christi & Eccl. Typos, audire
satagunt: Sed hæc mea est confo-
latio paucos illos esse = *sele-*
tos: Qui imitantur magnos Re-

) (2 forma-

formatores, qui sine Studiis Philol.
utriusque, non destruxerunt, My-
sticam Babel : *) Inter illos eminent
Doctiss. noster *Handtius*, Digniss.
defensor harum Thesium, qui non
cupit frustra vivere, ut illi quos
Paulus Fagius alibi describit; Qua-
re merito demonstraturi simul Sp.
S. etiam super Reformatos habita-
re, eum Resp. eligere voluimus, cui
optamus magnos in pietate & stu-
diis sacris, sine seductione, pro-
gressus: Te B. L. Deo comen-
dato, cum illo Μωυσεῖ τις μαλλον ἡ
μημονται. Servest. a. d. 23. Jan.
MDCCXXXIV.

*) Vide de Magno, quem merito æstimamus
Luthero, Sixt. Amaram Antib. Bibl. L. I.
p. 252.



§. I.

Cum dissertationibus variis demonstratum derim, quantæ utilitatis sit, studium Philologiæ cum universæ, tum in primis sacræ, quæ maxime Linguas & Historias comprehendit: Et tamen nonnulli incauti Juvenes, non utantur, data ipsis in his, hic proficiendi occasione, non abs re me facturum esse putavi, si colophonis loco, hoc schediasma adjicerem, atque ex locis duabus tribusque clarissimis, hanc porro demonstrarem veritatem, ita ut ei nihil contradici possit, sed plenum canerem, contra eorum seductores επικίνδυνον.

§. II.

Quorum locorum primus sit Hiobi Cap. XIX,
24. ubi Jun. & Trem. vertunt *Stylo ferreo & plumbeo*,
satis bene, nam ψυ *stylum*, שְׁפָרָה *ferrum*, significat, sed non satis animadvertisit *Auctor* vel *Auctores* animadverterunt, illud *Vau* non esse hic copulati-

vum, sed materiæ substratae indicium esse debere, ut
Vau saepe sumi dudum Viri Eruditæ, ex *Noldio* pro-
 barunt: vel si conjunctive sumere velis, tum
 prius notabit instrumentum, posterius materiam vel
 subiectum, cui inscribatur: subiectum est *plumbum*,
 huic veteres papyro nondum invento, inscribebant
Historiarum monumenta, *papyrus* autem *Ægyptiorum*
 inventum fuisse, & dici ex אַרְבָּה orista alibi pro-
 babo, evicturus *derivationis*, studii pulcherrimi, utili-
 tatem: ρυ significat *pelliculam* sc. tenuem illam, quæ
 in *arundinibus*, quas Germani Schilff vocant, invenitur,
 unde bene Luth. das Schilff-Meer, nam non sicut
 rubrum, ut nonnulli Geographi vocabulo Ερυθρός
 non satis perspecto judicarunt, vocatur ita mare
Ægypti à Regis Erythræi hic quærentis filiam facto
 generoso, non vero a colore rubro, ut *Viffus* ad
Pomp. Melam, jam dudum observavit, quod cum
 ignorarent (ecce usum *Historiarum*) vocem Ερυθρός
 substantive sumserunt, & Rubedinem maris notari,
 contra veritatem *Historicam* & *Geographicam* pu-
 tarunt: Re&tius vertimus *mare Algosum*, das Schilff-
 Meer; illa pellicula, erat materia substrata, quam
 hodie *chartam* appellare consueverunt, quid autem
 differant *Papyrus*, *Charta*, *I liber*, *Codex*, ali⁹ scripto-
 res explicarunt, qui nobis hic otia fecerunt.

§. III.

Ecce *Chartam* *Ægyptiorum*, jam videamus ca-
 lamum (cur enim pennam appellaremus?) Ille erat
 orista.

arista ipsa, Hebrais אַבְיבָּם dicta, ut ex Lexicis constat, & quod argumentum potius est, ipso longo rerum Hebraicarum, qui Lexica confecit, usu: Talem calamum ipse possideo, Constantinopoli allatum, a Cl. Heymanno L. O. in Acad. Leyd. Professore, qui dono illius me honoravit, cum eum 1715. Leyda visitarem: Quid autem clarius, quam talis ocularis inspectio? Calamus erat penna & pellicula ejus papyrus, unde papyrus, est vox composita, ex Hebr. אַבְיבָּם *arista* & עַרְעַת *pellicula*, Avignor enim originem dedit voci *papygnor*, & hæc Latino *papyrus*.

§. IV.

Quid igitur clarius, quam veteres illo (papyro) nondum invento, plumbo inscrississe, exempla colligit, servus, dum viveret, Ecclesiæ Ref. fidelissimus, Dn. Joh. Dourreinius in *Hieroglyphicis Sacris*, libro lectu ut jucundissimo, ita dignissimo: Plumbum ferro est mollius, ut Physica docet, ergo ferro ei inscribi posse, veteres ratione edocebantur, non igitur vult T. ferro & plumbo suos inscribi dolores, sed sufficiebat una materia, cui instrumento ex altera, sui inscriberentur dolores: Et sic sensum recte expressit Lutherus, mit einem eysernen Griffel, auf Bley & Constat inde simul Antiquitas Libri Hiobi.

§. V.

Ad alterum nunc accedo locum, quando Hieropsaltes Gloriam N. T. descripturus Psalmo 36, 9. ita inquit

וְרוּחַ מֹשֶׁן בֵּיתךְ וְנַחַל שָׂרֵן תִּשְׁקַם Jun. & Trem. vertunt: *Uberrime expletur pinguedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis:* Primum membrum est רְרוּחַ מֹשֶׁן בֵּיתךְ *uberrime expletur pinguedine domus tuæ secundum רְנַחַל שָׂרֵן תִּשְׁקַם* & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis: Ubi dubium circa voces רְהָה in primo membro, quod ~~Alii~~ Luth. a ḥפָשָׁה distinguo: & ḥפָשָׁה ex quo ~~תִּשְׁקַם~~ secundo membro. Prius nempe רְהָה notat *impleri, expleri*, vide Buxt. L. H. sub illa Radice p. 720. ed. Basil. 1710. in 8. unde Lutherus: *Sie werden trunken, von den reichen Gütern deines Hauses: Quæ versio valere posset vi Radicis, nisi sequeretur altero membro, und du tränkest sie mit Wollust als mit einem Strom: Si enim potatio in membro secundo, non opus est, eam querere membro primo, atque faciam ut qui libet intelligat ḥפָשָׁה notare potare & addito נַחַל ple ne ad ebrietatem potare: Concedo inquam locum Deut. 29, 19. ubi vox רְהָה occurrit, quæ utique notat *expleri potu, trunctene*, quia agitur de Ecclesia N. T. quæ in oppositione ad Ecclesiam V. Test. est *ebria*, posse intelligi de *ebrietate*; Nam nec minus in T. subjecto Psalmi XXXVI, 9. sed non membro primo verum secundo, consideratur ut *largiter potata*, nam ita potari ut flumina potus inebriantis accipias, sane manifesto notat, ad ebrietatem usque *expleri & saturari*: Quid enim aliud est inebriari, quam ad naunseam usque vinum vel aliam mate-*

materiam spirituosam imbibere, quæ litera facile ad
 spiritualem cum portationem, tum inde consequen-
 tem inebriationem ducitur, transfertur & a sagaci
 Interpretè explicatur. Consentit Hist. Eccl. quæ do-
 cet, tempore N. T. flumina bonorum donorum ef-
 fusa fuisse largiter, in Ecclesiam illam felicissimam:
 Ubi enim etiam fœminæ vaticinantur, ibi est donum
 Propheticum, omnium donorum excellentissimum,
 in copia datum fidelibus: Quid enim potest animæ
 cœli deliciis affectæ, cuius ratio terrena pedibus
 conculcans, cœlestia appetit, & dicit terrena in usu,
 cœlestia in desiderio, suavius esse, quam sine *Urim*
 & *Thunim*, accedere ad Deum, & ex verbo Prophetico
 discere, quomodo fata Ecclesiæ sensim sen-
 simque impleantur? Et sic glorificetur Deus ille in-
 visibilis & impalpabilis, sed in verbo Prophetico a-
 pertus, ut Paulus docet 2 Cor. III, 1-11. *Facie ad faciem*,
 vidit Moses Jehovam, Exod. 33, 19. & 11. ac Num. 12, 8.
 Non minus nos retecta facie videmus, Deum, & mutamur
 a gloria ad gloriam: Ecce donum quo gaudebant nunc
 servi & ancillæ, Joel. III, 1. Act. II, 14-17. *Peregrinus*
 nunc non amplius est γ peregrinus, sed sumus o-
 mnes unum in Christo Coloss. III, 11. Quid quod
 fine N. T. stillabunt montes *Vino* & *Læde* juxta eun-
 dem Joelem Cap. III, 23 *Cognitionis* claritatem LAC
 appellari, dudum alibi demonstravimus; Claritatem
 autem veritatis effectum esse putamus: Contra ob-
 scurum Terminorum chaos, quibus pastor stul-
 tus

tus Zach. XI, 15. veritatem tegit, ut pigmento Isabellæ faciei turpitudinem tegere & pulchræ videri solent. Concludimus igitur præponi in T. n. ut sit in ordine rerum naturali SATVRITATEM pinguibus domus Dei, Ecclesia N. Testam. alludendo ad fidelium V. Test. statum, qui terrenam domum, prius Tabernaculum, deinde Templo possidebant, vocatur *domus*, ob rationes a Commentatoribus ad Eph. II. & IV. allegatas; pinguedo erat alimentum sacerdotum, ut adeps *Lalg* & sanguis *Blut*, Dei, quia in altari adolebantur, Typum præbentia illa erant, plenæ satietatis gratia agni temp. N. T. maestati, Christi, ut inebriatio membra secundi est, rei ejusdem exaggeratio, vox in T. Originali occurrens מִשְׁׁמָרָה notat vi Originis נַפְשׁ potare videantur loca a Clariss. Buxt. in Lexico H. p. 892. dictæ Edit. allegata, præcipue Num. V, 24. Hinc significat irrigatam facere terram, Ezech. 32, 6. Tales מִים occurrunt Jes. 49, 11. Luth. vertit Wasserquellen: Quis adeo hospes est in Ling. Hebræorum, ut mihi negare ausit Jacobum potare facientem Labanis gregem, eo usum fuisse vocabulo? Legamus modo hanc in rem Gen. 30, 38. וְיָצַא אֶת פָּל בְּרֹחֶת בְּשִׁקְרָה הַמִּקְרָה אֲשֶׁר Et in aquaculis quam venirent pecudes ad bibendum e regione secundum (collocabat) Ut igitur Ecclesia N. T. saturatur pinguedine domus Dei, ita quoque veluti hortus aridus, irrigatur rore

rore Sp. S., præterea ut homo siti laborans, non tantum potatur, sic etiam Ecclesia N. T. sitibunda olim, & tot Typis & Ceremoniis macerata & pressa, non tantum potatur gratia N. T. sed etiam ad ebrietatem spiritualem usque, VINO novi Testamenti lætitatur, ut LACTE doctrinæ puræ, nutritur, & tempore persecutionis A QV A lingua languida & arida mystice perfunditur secundum Joh. IV. & VII.

§. VI.

Hieroglyphicum unum sequitur ex alio, ut solet in verbo Propheticō: Primum & præcipuum est רֹה quid hic nobis Lutherus, cum suo truncten werden, esset Tautologia si in utroque membro occurreret EBRIETAS vel saltem inopia vocabulorum, Spiritus sancti, in sacra scriptura loquentis: Non tali premittur inopia sapientissimus Sp. S. in sacra scriptura loquens: Ergo notatur quod in FAMELICO primum esse solet CIBATIO: Deinde ut Viator, quales sumus in mundo, nam peregrini hic non vero iniquitati sumus, sursum capita, ad supera tendimus, cibatus, solet querere etiam levamem SITIS, ita vult dicere Sp. S. accipietis etiam ex fonte salutis Messia, alterum Convivii vel Cibationis Naturalis, nempe ROTATIONEM, Deus vos ῥπω potavit, potabitque sanguine Messiae, qui est בְּפַרְחָה vestra, Zach. IX, 9. vid. Abarb. ad Proph. fol. 98. col. 2. & Schrammum Prof. Helm. ad rudera Symb. Ap: in Talmude §. 44. Fons aperitur domui Davidis & civibus Ierusalem,

salem, ex quo datur, cum deletione peccati, explicatione
 sitis; *Sitire* est indicium egestatis, tales sumus
 natura, quando gratia Dei destituimus: Præcipue
 fideles V. T. vocantur **SITIENTES**, **לְצַדָּקָה**
accidite omnes sientes Jes. 55, 1. sc. ad flumina Zion,
 ad redemptorem mundi, qui habet **AQUAS VIVAS**
 Zach. XIII, 1. & Jes. XII, 3. & Apoc. XXVII, 1. ubi
 flumen occurrit *Chrysallo*, purissimo illi vitro, simili-
 lum: Certe meritum Christi est *aqua* clara &
 Limpida, & Sp. S. qui ex merito Christi datur, est
clarus, dicit ad veritatem, qua nihil clarius, nihil
 pulchrius, nihil amoenius: *Aqua* reficit vires, ita
 meritum Christi & Spiritus ejus, qui sensus est
 Matth. V, 6. Ezech. 47, 1 - 12. Gradatim datur *spiritus sanctus*: Primo in regeneratione, deinde in san-
 tificatione, tandem in salutis consummatione; ita
 quoque sub V. T. est Spir. S. sed non erat Sp. S. in
 oppositione ad N. T. Qui sensus est locorum Joh.
 VII, 39. Act. 19, 2. Spiritum illum plenitudinis igno-
 raverant, habentes Spiritum spei & servitutis, nam
 Sp. S. operatur convenienter Oeconomis, quod etsi
 Leydeckerus aliique sui furfuris negent, tamen manebit
 verum: Nam scripturæ non fallunt, nec periculorum est cum iis, sed cum Terminis scholasticis
 loqui, ut probarem nisi paci darem operam: Nunc
 ergo Spiritus sanctus operatus erat gratiam sine
 ira, justificationem sine metu, adoptionem
 sine servitute, adeoque plenam libertatem,
 ecce potum Nectare & Ambrosia jucundio-
 rem;

rem : Ecce Vinum lætificans cor , sanguinem de-
lentem peccata , & Spiritum reficientem post onus
Legis & ~~nadagas~~ Mosis , quæ excitabant metum
mortis , & quæ alia dolorosa excogitari possunt . Ter-
tium Hieroglyphicum est quando ADIPI & PINGVE-
DINI conferuntur Bona N. T. seu Oeconomia pleni-
orioris ; Quid est pinguius pinguedine , tamen adeps est
pinguedine pinguior , prius Dei , posterius Sa-
cerdotum erat ; Hi non frustra hoc acceperunt , sed
~~vis rutorum~~ , quo Deus notabat , Ecclesiam plenioris Oe-
conomia perducendam esse ad statum FILIA-
NIS , qua datur omnis quæ cogitari potest perfectio ;
Ridet hæc carnalis homo , cui carnalia placent , sed
non verus Theologus , qualem Nazianzenus , Ma-
carius aliisque describunt , qui non delectatur Pasquili-
s , prostitutione aliorum , aliquisque operibus Carna-
libus , sed scrutinio verbis Dei , melle dulcioris : Quæ
dulcedo inpr. se in Allegoriis Propheticis aperit :
Qualem hic habemus , quando una Metaphora post
aliam dulcedinem Regni J. Chr. describit : Est illud
Mel Prov. 24, 13. Est lac Jes. 55, 1. & Cant. V, 1. Est
Vinum iterum Jes. 55, 1. Prov. 9, 2. & Cant. V, 1. aliquis-
que pulcherrimis S. S. locis : EST A Q V A , non au-
tem turbida , sed clara , ut producta loca docent , præ-
cipue Zach. XIII, 1. Joh. VII, 37. 38.

§. VII.

Plura non addimus, alias etiam explicare possemus, Metaphoram vocis **לִבְנָה** *vulnus*, unde hor-

tus ille quem ex Persica Lingua plebs ipsa etiam *Paradysum* vocare solet, suavissimum nomen accepit; Quoque alludit, Sp. S. in describendo statu felicissimo ultimi temporis, Apoc. XXII. quorsumque cursum spei conversi Latronis dirigere jubet Salvator optimus, quando Emphatice admodum, ei promittit æternam Gloriam Luc. 23, 43. *Hodie mecum in Paradyso eris*, hoc est æterna Gloria, & consummata beatitudine: Non agitur de *Voluptate carnali*, quam ridicule & contra Historiam Philosophiæ Epicuream vocare solent: Nam Epicuro alia infedit mens, quam plebi, quærenti quæ præ oculis sunt, saginam corporis, ut otiosi, qui molle fœtantes otium, non melius sibi esse putant, quam cum gula implera satur stomachus cibos & potum, iterum effundit vel egerit ex ore impuro: Ast Epicuro VERITATIS scrutatio erat *Convivium*, nam non quærebat opes, non honores, non cibum & potum, sed bonam, ut inibi videtur, pro illo tempore conscientiam, unde *Mača* vivebat, teste Diog: Laert: in vita illius: Qua de causa ipse Seneca præ vulgo sapiens ipsum excusat, & Cicero false eos ridet qui subtilissimo Epicuro has voluptates corporaliter explicare auderent: Ratio non alias, quam perennes appetit felicitates: Quæ sunt Philosophice 1) *Bona Conscientia*, quæ rationi æque ac S. scripturæ est perenne Convivium: 2) æterna felicitas, quæ ex bona conscientia oritur, nam ut vivimus, ita judicamus. Theologice non *Philosophia Moralis*, sed JESUS

sus Christus , si non conscientia nostra nos condemnat , scimus nos habere παρακλητον apud Deum , JESUM Christum justum illum , ex i Joh. III , 19 - 21 . ad quem locum vid. diff: nostras Delfis recusas , præcipue ibid. Cap. I . 8 - 10 . & Cap. 2 : 1 . collato Roman. VIII . 33 - 39 . & 15 - 17 . Hic JESUS Judæis Κύριος dicitus , est Fidei anchora , hic spes fractorum Spiritu , hic Advocatus fidelium , salutem in timore & tremore operantium : ô felicissimum Christianissimum , qui quod Philosophia anxie quæsivit , invenit sine dolore . in Evangelio : Quod revelavit Deus in paradyso Hie obi XIX , 28 . ex Gen. III , 15 . implevit in Christo , qui est causa salutis , & initium omnium viarum Dei , ex Prov. VIII , 22 . ad hunc curramus , tamq: centrum & metam .

§. VIII.

Nunc ad rem Philologicam laudandam , pluribus opus esse non video ; Alias loca adduceremus ex Historia illustranda , sed id fecit Spanheimius in Dubiis Evangelicis , Theologus Reformatus nulli secundus , & nuper Vitringa in Comm. ad Jes. & Apoc. quæ scripta sola probant quantum nostri laborarint in studio Exegético perficiendo , quo utilius non datur , & sine quo Theologus est Polemicus implumis , nam omnis Controversia , tandem ex Exegeſi , hæc Linguis & Historiis , resolvi debet . Prodeat in publicum , qui scripta Fr. Burmanni , Fr. & Adriani Junii carpere NB . ex vero , possit ? Nam dicere & non probare , est

B 3

Dicta-

*Dictatorem, esse, ubi nihil vales : Hic valet illud:
 Cur tua plus laudas cumeris granaria nostris? Ta-
 lia plura dabit Bibliotheca Theologica, Salom. van Til-
 hem quanti Viri ! edita a Viro Summe Rev. D. Frid.
 Grimmio Consil. Eccl, Inspectore & Pastore Primario
 pulcherrimæ Hanoviæ & postea Doctissimo Bedberio
 V.D.M. Alcmariense, in usum studiosorum, ut vide-
 ant, qui nam Theologi scrinia locupletare possint:
 Hinc hic cramben coetam nolo recoquere & Bibliothe-
 cam Lippennii, Voetii, Hallevorpii, Coccii, aliorumque
 vix allegare cupio, ridens eum, qui dicit Ecclesiam
 Reformatam, non posse doctos ostendere Theolo-
 gos, pugnet talis Calumniator, cum Umbra, legat
 nostrorum Elogia, apud Majum, (Superintenden-
 tem, gravissimo, hoc nomine dignum, S. S. Theol.
 D. & P. toto orbe celeberrimum) Schmidum, Ram-
 bachium, aliosque sine numero, Theologos Lutheran-
 os, impartiales. Sed solum jam in his studii Rabbi-
 nici usum probare aggrediar, quam in rem præter a-
 me adducta, Praef. Clavis Talmudicæ & T. XIII. Misc.
 Lips. Design. Laborum ab Anniv. 1730 - 1731. jam me-
 cum in arenam descendant duo a Rabinis melius,
 quam Christianis veteribus illustrata loca, nam nunc
 melius expedirentur, lecto Beckio & Maii supradicti
 Filio dignissimo, in vers. Tr. שמתה & יובל & A-
 mico meo, dum viveret candidissimo, Philologo
 fortissimo (sic jure appello, devicisse enim mihi vi-
 detur, effectu, quod est optimum argumentum,
 omnes*

omnes Contemtores studii Rabbini ci) Dn. Joh. Meyero
S. S. Theol. & L. O. Prof. Harderoviceno, in tr. mul-
tæ utilitatis de Festis Hebreor. cuius secundam edit. do-
num manus, Viri doctissimi, tanquam *κειμηλιον* cu-
stodio.

§. IX.

Primus est *Luc. IV, 18.* *Spiritus Domini super me,*
propterea quod unxit me, ut *Evangelizem pauperibus,* mi-
sit me ut sanem contritos corde, ut *predicem captivis dimis-
sionem, & cæcis visus recuperationem, & confractos emit-
tam in libertatem:* An non regula Hermeneutica pri-
ma est, vocum eruere significationes, secunda vi-
dere antecedentia & consequentia? Hic vero versu
14. leges Christum repletum virtute spiritus S. re-
verti in Galilæam, famamque ejus dispergi per to-
tam circumiacentem regionem, ibid: ipsumque
docere, in ipsorum Synagogis, omnibus ipsum glo-
rificantibus versu 15. Hinc veniens, suo more in Sy-
nagogam quæ Nazarethi est, patria ratione educa-
tionis, tanti Prophetæ, die Sabbathi, surrexit, ut
legeret, versu 16. *Tunc datus est ei liber Jesiae Prophe-
ta;* *Quumque explicuisset librum, invenit locum in quo scri-
psum erat,* vers. 17. id quod modo allegabamus.
Unxit Deus, filium suum Sp. S. quando eum mit-
ret in mundum, præcipue quando *Baptismo muneri*
Prophetico publice inauguraretur, C. 3. v. 21, 22. *fa-
cium est autem, quum baptizaretur omnis populus, & Jesus*
baptizatus esset & precaretur ut apertum sit cælum:

Ac

Ac descendenterit Spiritus corporea specie tanquam columba,
 supra eum: & vox de cælo descendenteret, dicens, vide
 versum seq. Cap. IV. sequitur specimen fortitudinis,
 Unci Regis Ecclesiæ, ita versu 1. *JESUS autem plenus Sp. S.*
revertit a Jordane, & actus est ab eodem Spiritu in desertum:
 Ubi tres aggressiones Satanae, quas superavit, & sic
 se probatum ostendit Pontificem Dominus JESUS, an
 tentatio fuerit corporalis vel *enveniatur in Spiritu*, non
 est meum determinare, & tantas componere lites,
 adeat qui cupit Librum in his oris rarissimum Dn.
 Arendt V. D. M. Batavi doctissimi: Nam Vulgares
 Auctores allegare nullius artis est, & nauseam creat
 sapienti Lectori. Ecce jam unctum Domini & quidem
~~ωτε ετῶν τριακοντά~~ Cap. II, 23. cum incipiebat esse anno
 rum triginta, Jovem lapidem jurares, particulam ~~ων~~
 hic, ut Luc. 9, 14. verti debere per quasi cum Cl. Byneo
 & Perizonio, & sic ordinario concionantur, nescien-
 tes hos ex ~~δελεια υποθέσει~~ ita vertere, quæ autem
 hæc sciens fugio & in litera maneo. Et sic dices, hic
 agi de Christo non præcise XXX. annorum, sed
 eis proximo: Qua de re, hac vice non dispuo,
 sufficit ad scopum meum: Christum munus Pro-
 pheticum anno æt. XXX. aggredi: Cur satis purus
 laretur, seu Baptizetur, alibi examinabo, hic brevis
 esse debo: Ergo ad rhombum facit, hic attendere
 hanc circumstantiam, quod exordium munieris Pro-
 phetici fatis tentatus faciat in Nazareth, ita debemus
 venerari loca in quibus aliquid veræ sapientiæ didi-
 cimus.

§. X.

§. X.

Videmus hic gradationem elegantissimam & scripturis usitatissimam *Spiritus Domini super me ecce effectum, propterea quod unxit me, ecce causam:* Cl. Petersenius ex hoc vocabulo, *unxit me, probare conatur, corpus spirituale, quod pater Filio præparasse credit in æternitate, ut loquebatur, vel ut ego, scapham scapham dicens, appellarem, ante Hexaemeron, ecce Origenianismum, in Viro Doctissimo: Nobis Undia est effusio donorum Sp. S. super Messiam, de quo consuluntur vulgaria Systemata Theologiae: Ita qui naturaliter omnia habet, Oeconomice præparari, custodiri & conservari debet.* Finem ministerii sui in his V. Articulis aperit:

- A. Ut Evangelizem pauperibus,
- B. ut sanem contritos corde,
- C. & prædicem captivis dimissionem
- D. & cæcis visus recuperationem.
- E. Et contractos emitam in libertatem.

Clariora sequuntur F. versu seq. 19. Ut prædicem Annum Domini acceptum: Illa sunt Clavis reliquorum, quibus explicatis illa facile systematice, a quolibet explicari possunt: Hic ergo fundamentum quæro.

§. XI.

Illud est VERITAS, cui contradicere multi posse sunt ore, cum Capellano, sed neutquam corde: Paucissimis hæc ex Rabbinis, Fl. Josepho, & Philone Ju-dæo, nostris in Antiq. Hebr. fontibus, & facililime ex-

C

pedi-

pediri posse, sine evolutione tot, quot olim necesse
 erat Voluminum: Valet enim semper illud Doctiss,
 Lichtfooti: Rabbini sunt (non omnes) infensissimi Evan-
 gelii hostes, sed simul optimi ejusdem Interpretates. Quid
 est Annus Domini acceptus, falli non possum, quando
 praeluentibus in Jesaiam Commentatoribus dico;
 Esse Jubileum Novi Testimenti: Tale ei promissum esse
 docent Prophetae, qui in Libertate servituti V. T.
 opposita, omnes desinere solent, vid. Gulichii Anal.
 & Junii vertrooßinge der Schriften. Heidech. signa Tem-
 porum, aliquique studii omnium suavissimi Prophetici
 scrutatores & scriptores, omnibus rixatoribus scho-
 lasticis præferendi: Nolo enim spoliis aliorum, illis
 non laudatis imo nequidem nominatis ut multi im-
 pie solent, meos replere loculos, sed quod alii præ-
 stiterunt allegando omitto, querens ea quæ ædifi-
 cant, & non raro proferens non alia, quam quæ in
 proprio fundo nata sunt. Hæ sunt divitiæ Philologie,
 quam a teneris amavi, & aliis placide & facile instil-
 larem, nisi huic diceretur me clandestinum occultare
 sub L. H. venenum, vel Linguam hebræam ex Ju-
 dæis, adeoque falsam didicisse, aliis vero asylum il-
 lud ignorantiae inculcaretur, Pastori pagi sufficere
 pusillam L. S. cognitionem: An vero ideo studes,
 ut folis te contra occultum Dei consilium rusticis,
 consecres & sic focis non aris servias: Atque an non
 Judæus in pago Auditores tuos confundere teq; pro-
 fittuere posset, vel si se Christo adjungere vellet,
 quo-

quomodo sine prolixa L. H. cognitione ipsum amice,
quid enim hic *nāqāz* & clamores, reduceres in
semitas patrum, quam totam convertendi Judæos
artem esse puto, ex Mal. IV, 6. atque experientia
Cl. Præc. mei *Jacobi Triglandii*, in Conversione doct.
Judæi, ejusque exercitatisimi Rabbini, *Abaronis*
Margalitæ.

§. XII.

Sed e diverticulo planam iterum ingrediamur
nunc viam, repressis studiis *Rabbinici* hostibus, quos
satis prostituit, *Hardtius* & doctiss. ipsius discipulus &
Adjunctus Dn. *Lackemacherus* (distinguendus a Dn.
Lackemann qui scite & ornate, de *signis temporum*
scriptis qui liber pariter in Germania nostra ignotus
est) integra Orat. de *Rabbinorum Commentariis* a
contemptu vindicatis, & prodromo Collegii in *Ruth*,
aliisque doctissimis scriptis, ne de utroque *Edzardo*
patre & filio dicam, de quibus alias, aut *Coccejo*, *Alt-*
tingio, *Schmidio*, *Dassovio*, *Frischmutho*, *Danzio*, *Majio*,
Eisenmenger, *Schudio*, & qui instar omnium sunt *Bux-*
torfiis & *Bochartis* atque *Surenhusis*, qui satis has lite-
ras defenderunt, & hostes earum prostituerunt:
An non scire debes quid sit *Jubileum*, discessne id Ro-
mæ, ut pius noster *Horat. Tursellinus*, quem non
explicamus, ut hostes nostri calumniantur ut se-
quamur ipsum, sed commodam ansam habeamus
cum veritatibus quas insignis stylo Latino proposuit,
simul refutandi falsos Ecclesiæ Romanæ ritus, quos

ut recte doctiss. Colomesius loquitur, nisi introduxissent, Papa, seu Anti-Christus non ortus fuisset; Est annus quem Deus singulis septem Annorum septimanis X. Tisri cornu arietino publicari, & in memoriam Legis in Sinai latæ, atque Typum Pentecostis spiritualis, a populo suo, in terra Canaan, adeoque liberationis a jugo Legis servari voluit. Hæc didici ex Lev. XXV, 10. sede materiæ, & Rabbinis, quos non potuit evolvere Lundius, Theologus Lutheranus, alias laudandus, sed Meyerus supra laudatus, cui successor datus fuisset, nisi maluisset hic agere, quod cum ignorarent, invidi quidam in Belgio bonorum consilium, ut in vocatione Hagienſi impedire conati sunt: Ita ludit in humanis Divina Providentia rebus! Unde falsa est observatio eorum qui (1.) cornu arietinum die incipiente annum Sabbathicum inflatum fuisse, docere ausi fuerunt, (2.) ut pessime annum Sabbathicum שְׁבָתִים dictum, cum Jubileo, יְמִינָה ab ipso hoc cornu arietino derivata voce vel Hiphil vocis obsoletæ בְּנֵי in Hiph. reduxit, Hophal reductus, restitutus vide Job. X, 19. XXI, 30. 32. Jer. 31, 9. unde יְמִינָה proventus, quia proventum & Libertatem restituit, reducitque, confundunt, se variis implacantes confusionibus. (3.) & docuerunt servos Hebreos, nam alios hoc privilegium non concernebat illo dimissos & in libertatem assertos fuisse, unde falsæ & merito ridendæ sequuntur Allegoriæ. (4.) Tandem 49. illis non 50. tribuunt Annum, objectibus

nigus ridiculis, & ordinarie ex præjudiciis, falsorum
doctorum ortis, indignis quæ hic revelemus aut
retegamus vel refutemus, quia id satis præstigit Cl. Pa-
ter noster in Christo, qui nos, ut seniores decet, tan-
quam fratrem tractavit, & commoda nostra promo-
vit, cui alii Titulo me majores, Eruditione minores,
contrarium non raro facere solent, ut *Sinc. Veridicus*
(a malitioso sic dicto *Sinc. ab Ingenuis* distinguendus)
satis aperuit, allegatus in *Actis Erud. Germ. Lipsien-*
sibus 1715. Notabilia sunt hanc in rem verba prædi-
cti Cl. vvv et *ayus* Meyeri mei, Cap. 17. §. 12. p. 333. ed.
„ 2dæ. Et quia in Legislatione erat buccina juxta
„ Exod. 19. 16. Sonitus buccinæ, valde vehemens: Ita
„ præcepit in Jubilæo clangere buccina, Lev. 25. 9. i.e.
„ Synedrii nuncii clangebant buccina, Annum esse
„ Jubilæum, Sanctum Domino, quod mandatum
„ non dedit de Schmitta, quoniam buccina non
„ appropriata fuit primæ creationi. Et quia in da-
„ tione legis, Deus præcepit sanctificationem,
„ Exod. 19. unde idem dictum de Anno Jubilæo,
„ Lev. 25. 10. & *sanctificetis annum quinquagesimum.*

§. XIII.

Apex rei Antiquariæ est nosse differentiam Pri-
vilegiorum Anni *Sabbathici & Jubilæi*: Quam brevis-
sime explicat Abarbanel ad Lev. 25, ita fol. 268. 4.
Tribus vicibus dicitur in Texu, Jubilæus ille esto vobis
v. 10. II. & 12. *quia Israelite in Jubilæo ad tria erant obli-*
gati; I. ad dimissionem servorum in libertatem, ideo dicitur,

C 3

versu

versu 10. proclamate libertatem in terra omnibus
 habitatoribus ejus רוץ' לאמ' ל'עבָרִי i. e. servis.
 Reditum ad possessionem suam, & familiam suam
 etiam explicat de servis 2. Quod non debeant serere
 vel metere versu 11. Et hoc loco quinquagesimi an-
 ni mentionem factam esse dicit, ut significetur, quod, li-
 cet de anno Sabbathico hic quoque sit mandatum versu 4.
 nunc in Jubileo, licet esset quinquagesimus, quoque sit ob-
 servandum, sicut in Anno Sabbathico. 3. Ut Jubileus sit
 sanctus annus omnibus possessionibus, quae reverti debeant ad
 Dominos suos versu 12. 13. Adeoque in Jubileo Deus haec
 tria observanda præcepit : Conf. Cl. Meyerum Cap.
 XVIII. §. 5. p. 358. fine : Eleganter Pesikta (in Bibl.no-
 stra evolvendus) liber rariss. Comm : in Lev. Talmude antiquior, fol. 29. 2. ed. Ven. ad verba :
 Lev. 23, 15. 16. והוא אמר רבי יוסי בר יהודה כל
 ספירות לא תורי אלא ג' יום. הספרו נ' יומ. יכול יספור
 נ' ואחר תלמוד לומר שבע שבחות תמולות ההיינה
 יכול יספור ט' א' וקורש מ"ט תלמוד לומר הספרו
 חמישים יום רה כיצד מונה ארבעים ותשע ומקודש יום נ'
 :

*Hoc est quod dixit Rabbi Jose filius R. Jehudae:
 Omnis numeratio tua non fiet nisi in annum quinquagesi-
 mum. Numerabitis quinque viginti dies. Possent nu-
 merari quinquaginta & unus. Mens doctrinæ est, quod
 septem Sabbathæ (septimanæ) debent esse perfectæ. Pos-
 sent numerari quadraginta octo & sanctificari dies qua-*
drage-

dragesimus nonus. Mens doctrinæ est, numerobitis quinquaginta dies. Ecce eodem modo numerat quadraginta novem, & sanctificat diem quinquagesimum, sicut in Jubileo Lev. XXV, 10. Utrique Sabbathico & Jubilæo communis erat. Quies terræ sine cultura Lev. XXV, 11.

4. Peculiaris vero septimo anno, Remissio debitorum ספטימון שבעת sex annis elapsi contractorum Deut. XV, 1. seqq. Cap. XXXI, 10. Ita Maimonides in Hilchoth Schemitta Vejobel Cap. X, §. 16. יזרוח שביעית על היובל השבעה ששהובל מוציא עבדים ומשםיט קרען; על השבעה שהובל מוציא עבדים ומשםיט קרען; Sabbathicus annus prestat Jubileo, quod Sabbathicus remittit debita, Jubileus ea non remittit. Sed Jubileus prestat Sabbathico, quod Jubileus liberos exire facit servos, & restituit fundos. Cont. R. Bechai ad Exod. XXI, 2. & Menasse Ben Israel in Conciliat. Quest. 39. ad Exod. XXI, 2. quos omnes in Bibliotheca mea, quantulacunque iterum evolvere potes. Et sic brevibus plus me VERITATIS docuisse puto, ex Rabbinis & Neotericis, quam multi harum rerum ignari Commentatores prolixis efficerent Commentationibus. Q. D. E.

§. XIV.

Sed satis pro chartis huic disputationi a Doctissimo Dn. Resp. destinatis, nec volumus nauseam nonnullorum provocare, qui ut breves Conciones, ita disputationes amant: Combinandus ex Scopo Evan-

Evangelistæ Lucae, hic Textus cum illo qui invenitur apud Jesaiam Capite LXI, commate primo: Christus ipse dicit επιγένεται licita (nam quis dum in veritate est, sine rubore quod verum est, non pronunciat?) *Hodie impleta est hæc, scriptura audientibus vobis*, versu 21, Luc. laudati nobis IV. capit. Quis dubitabit Christum vera dixisse? An non enim verum est, eum liberasse Jes. 49, fine servos diaboli, Tyranni illius Tyrannorum, ut per Hebraismum loquamur, & nos afferuisse in Libertatem filiorum Dei: Sic cessat juxta Col. III, ii. conditio servi, quales omnes eramus, diaboli & peccati, per redemtionem & justificationem ἀνέγειρα gratis factam: lege Joh. VIII, 32. seq. Hebr. II, 14. 15. Rom. III, 24. & adde 1 Cor. IV, 7. An non peccata sunt debita nostra? Christus Moralistarum Doctor, qui eos omnes informaret, si cum ipsis loqueretur, ut in disp. de Amore proximi probavi, vestigiis Lutheri, Calvini, Cocceji, nuper Antonii & hodie Lipsiae florentis Magni Doctoris & Prof. ac Pastoris Pfeifferi Viri Clarissimi: Quid dicit, Matth. VI, 12. Luc. II, 4. Servus licet uno anno ante Jubil. venditus, tamen in libertatem eo afferitur Lev. 25, 40. Liberi credentium licet uterus ipsorum sit sepulchrum (ut ita loquar) quia credentium, liberantur a vanitate, & justificantur & sic redimuntur in Christo: Nam quid aliud est Mundus quam vanitas, olim cessatura? Rom. VIII, 20. Servi Politæ Israelis sed non alii sunt remissionis debitorum

rum

rum participes facti? Sic nec alienis a Christo Eph.
 II, 12. & extra statum resipiscentiæ viventibus, re-
 mittuntur peccata: Sed an sectæ nomen a fraterni-
 tate & communione cum charissimo Iesu separet,
 videant illi, qui me acutius cernunt: Pacem non li-
 tes amo, ut Philologi solent. Buccina illa supra de-
 scripta quod promulgaretur חצוב Jubilæus annum,
 apud Jesaiam sensu propheticō שנה רצין annum bene-
 placiti dictus, quid aliud significabat, quam Tubam
 Sonoram, per totum mundum exiitaram, non una
 vice, sed gradatim, ut Buccinæ quasi per circum-
 flexum, sonum exprimebant, clarissimum sub prima
 ut puto & ultima Periodo N. T. quo faciunt phrases
 quæ de universalitate mundo &c. loquuntur, ut i. Joh.
 2; 2. quem versum debemus conferre cum Capitis
 tertii versu primo: Quam vero disputationem, hic non
 tangimus, sed Clarissimis Viris Wendelino & Gerardo
 relinquimus, commendantes Jes. Cap. 49, ubi ho-
 dierni Judæi per Servum Israel ibi merito laudatum,
 Jesaiam vatem, ex ipsis Hugo Groius intelligunt, ego
 vero cum veteribus Judæis Eliezerem Ministrum (non
 ut alii servum) Abrahami Mysticum, ut Disp. 2. de Kab-
 bala vera & falsa probavi, משיח Messiam, quem ex
 eventu nunc Jesum Christum appellare solemus.
 Communio Bonorum, sponte nascentia enim ספיחות Lev. 25, 5. dicta, erant omnibus licita, anno Sabba-
 thico & Jubilæo, significabant communem fidem,
 Tit. 1, 3. communem salutem, Jude versu 3. omnium-

D

que

que cœlestium bonorum communionem: Nam sub N.T. non est Schytha vel Barbarus aut alias peregrinus, sed sumus omnes unum in Christo Col. 3 ii. Gal. 3, 28. confer. Ps. 39, 13. Hebr. 11, 13. Abundantia rerum, notabat Deum dilectis suis dare cibum in somno Psalm. 127, 2. quod erit vivere de verbo benedictionis divine Deut. VIII. 3.

§. XV.

Convertendo Judæo, allegarem Sohar in Lev. 25. fol. 35. Cum postrema redemptio advenerit, clangore Tuba omnes Israelite colligentur e quatuor mundi plagis. Confer si velis Matth. 28, 19. 20. Luc. 4, 18. 19. Rom. 10, 8. Act. 13, 46. 47. Conjungitur זובל Jubil. cum die expiationis: Quo tibi בר ישראל fili Israel (sic enim propter privilegia patrum dici cupiunt) indicatur, Messiam esse כפרה λυτρόν unus moritur pro omnibus Jes. LIII. exponit R. Schimeon Fil. Jochai, in Sohar, Thesauro ut vocant Librorum antiquissimorum: Quem vix ante annum 40. ipsi attingunt. In hoc abolebuntur Sacrificia: Sic Zalkut Chadasch fol. 144. מישיח במקומו הקורבנות שהז מומן. שבית המקרא קיימת: Messias est. loco Sacrificiorum, que antea in Sanctuario offerri solebant Et quid Rabbi Simeon Haddarschan in Zalkut ad fin. Efræ. כל הקורבנות בטולות לעתך רבא התורה אינה בטלה של Omnes oblationes cessabunt in futuro Seculo, confessio laudis non cessabit, quia dictum (Psalmo sc.

56, 13.)

56, 13) Rependam celebrationes tibi : Differentiam inter Sec. hoc , tempora Messiae , & Sec. futurum , hic non tangam , quia satis de ea Cl. Rhenferdus , Vir dum viveret in his Summus, Witsius , & Millius , atque ipse Pfaffius Theologus Lutheranus Sapientissimus , cui non displicet sententia Doctissimi Rhenferdii , vid. Comm. ad Matth. XII. Quique dudum vidiit , nec in Ecclesia Lutherana nec Reformata , nos , gratia Dei , destitui Viris ut ingenuis , ita doctis : Licet in utraque Ecclesia mali quoque dentur & pigri . Et post multa Sabbatha dierum , festorum , septimanarum , annorum , veniet מירחה רב כה סאלברטומג , de quo ex Paulo & Rabbinis satis differuimus in disp. parva , sed in explicando N. T. utili , de usu Rabbinorum , in explicandis quibusdam N. T. Phrasibus , quæ VITA est , nostrarum de Stylo N. T. disputationum . Josephus Mede statuit Sabbathum 1000. annorum in mundo , & postea plenum Sabbathismum in coelo , an eo non faciat dictum Eliæ , de quo Reineccius , viderint alii , quibus major me est Libertas .

S. XVI.

Specialiora si cupis hoc quæritur an non in calculo Jubileorum continuaetur , calculus durationis totius mundi , saltem curiosum quod in Præf. Bibl. A. Montani habet Josua Sylvester Steyer Leov. ll. Cecidisse muros Urbis Jericho , præsente arca , ad clamorem

D 2

popu.

populi & clangorem Tubarum, Jubilæo mundi 50.
 Anno mundi bis millesimo quingentesimo: Sicque
 Jubil. Mosis (quæ a Jubilæis mundi caute distinguit)
 30. Christum æt. XXX. fuisse & Minist. suum incœ-
 pisce, quæ autem calculorum in Prophetiis amatoribus
 relinquo: Licet non diffitear me statuere viam in-
 vestigari possè ex collatione verorum Jubilæorum h.e.
 Mosis & annorum XXX. ante munus Christi Proph.
 & III. postea, & sic forte inveniri posse resolutionem
 illius Mysterii, de quo ita Paulus i. Cor. XV, 51. 52.
 Ecce Mysterium vobis dico; Non omnes quidem obdormie-
 mus, sed omnes mutabimur, momento & jaclu oculi, ad
 ultimam Tubam Canet enim Tuba & mortui resuscitabuntur
 incorrupti, & nos mutabimur. Et i Thessl. 4, 16. Et
 ipse Dominus cum celestmate, & voce Archangeli, &
 cum tuba Dei, descendet de cælo, & qui mortui fuerint in
 Christo resurgent primo. O suavissimum יְהִי ſeu Ju-
 bilæum!

§. XVII.

Hujus *Libertatis communio*, an non datur in
 S. Cœna: igitur felices qui ea Bona Conscientia uti
 possumus! Has veritates utinam omnes expende-
 rent, qui Theologi dici cupiunt; Ast paucos ita
 æquus amavit Jupiter, ut Originalia querant, copiæ
 ipfis sufficiunt, ut *Clerico*, cui etiam errores Typo-
 graphici placebant, quando *Hottingeri Tr.* de præc.
 aff.

aff. & Neg. exscriberet: Ita alii conquesti sunt, quod vitulo eorum ararint nonnulli, ipsis interim non nominatis: Imo quia alias confessionis culpatis. Modestior est Clar. Sup, Th. D. & Prof. Majus, quando nostro usus est MSto in Pentat. præter merita enim & desideria mea, illud allegat in Præf. Bibl. Iuorum, nitidissimorum Hebraicorum: Utinam D. Eggers idem ageret, quando post meam de הַבָּשׂ Disp. hanc materiam tractandam sumsit: Allegandi sunt Auctores, per quos profecimus, in longo scientiarum & difficili itinere, nam recte Seneca, tota rerum natura umbra est, aut inanis aut fallax; Non facile dixerim, utrum magis irasperer illis, qui nos nihil scire voluerunt, an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, nihil scire: Ep. LXXXVIII. p. m. 570. edit Lipsii in fol. Exulet Invidia quæ sui carnifex justissimus esse solet. An omnes cogitant de conversione populi olim Deo tam dilecti & ex Abraham orti, a quo Fœdera & Testamenta habemus, atque adeo ipsam S. S. vid. Præf. ante Biblia Jun. & Trem. ubi plura ex AVGVSTINO ævum latura: De distinctionibus Scholasticis cogitant, hæ ipsis ut odium contra dissentientes, cum lacte materno porriguntur: Audi verba notatu dignissima Celeberrimi Leusdenii Diff. V. de Targumim Th. 7. p. 38. Philol. mixti, ex Edit. Ultraj. 1663. Verum enim vero deplorandum est, tam paucos Christianos quid moliri contra Judeos ad convertendum eos, quem tamen ex sententia plurimorum Theologorum Judæi ante finem mundi sint convertendi & ad Chri-

stum reducendi. Sed multi Christiani prob dolor! Se mu-
tuo perstringunt, atque cane peius & angue ad magnam
Ecclesiae perniciem & scandalum persequuntur; Vix cogi-
tantes de conversione Judæorum. In Scholis pue-
ris instillantur aridi Termini Scholastici, & odia
contra eos qui vel syllaba, ab ipsis discedunt, vide
Wachteri Tr. de Hæres circa mensas, & quærelam Ja-
ni Druſii ad Scal. Ep. XII. p. m. 19. Edit. 1595. in 8.
apud Thomam Crenium T. XIX. Animadu. Theol. & Philol.
p. 230. verba exhibeo alia occasione: Odio expo-
nunt Philologos apud incautam Juventutem, ut
eos negligant & Terminis aurem præbeant: Inha-
biles futuri ad Conversi Jud. imo ipsum Stud. Exe-
geticum, unde servum pecus, miseri Postillatores
evadunt.

§. XVIII.

Quare Auditores, quibus scribo, quosque ita,
ut me ipsum amo; tandem perpendite tempus præ-
tervolare, vobisque dari occasionem, hic, ut in
quadam Academia proficiendi, in *Antiquitatibus*, *He-
breorum*, *Græcorum* & *Romanorum*: Has enim sub um-
bone Perizonii, illas Gronovii, Triglandii, Rhenferdii,
Abaronis Margalitæ, ut olim didici, ita excolui, no-
ste dieque: Huc legitime vocatus docerem clare &
distincte, nisi unum illa, alterum alia abduceret, su-
pra

pra memoratarum difficultatum: Præcipue ridicula illa, de difficultate *L. Hebreæ*, experiamini studendo, præcipue orando & sancte vivendo, an non usū, futura sit facilis: Quam chari eritis *Academiis* ita præparati ut cera, cui figura Theologi solidi facile deinde imprimi possit. *Rabbinismus*, *Chaldaismus*, imo & *Syriasmus*, facilis est (ne de reliquis Ling. Or. loquar) modo præcesserit, aliqualis cognitio *Linguæ Hebreæ*, quæ per has dialectos porro excolitur. Plerique liberales sunt in aliis omnibus, in solos parci Doctores: Hinc labore experiuntur nihil, & nec de re judicare possunt. Tentate & omnia fient facilia: Non vero deliberantes facite nihil: ut alias ex *Seneca* monui. Nos omnes perpendamus summum *Libertatis* N. T. privilegium, & nos asseramus in veram *Libertatem Filiorum Dei*. Charitas est omnium virtutum pulcherrima, sine qua nemo Verus *Imitator* mitissimi Iesu Christi est, hanc exprimamus tota vita. Hoc sit nostrum propositum cum adimus Sacrum Epulum, quod non belli sed pacis sit. Fugiamus omnes lites, & pugnas quoque verborum: Et sic expectemus Sabbatismum
Gloriæ, dixi.

COROL.

COROLLARIA RESPONDENTIS.

I.

Sacramenta, non sunt propter corpus, sed animam: Hinc multi eiſ indigne utuntur, qui non sunt fratres noſtri.

II.

Ceremoniae Judaicæ non sunt imitatio Cultus Aegyptiorum, ſed Umbra ſeu Typus venturi Messiae, ut ex Annis Sabbathicis & Jubileis patet in Disp. noſtra.

III.

Per Arithmeticam יובל facit 48 an non hoc oſtendit finem Jubilæorum eſſe prodere quo tempore venturus fit Messias?

IV.

Falsa Kabbala eſt instrum. ſtulticie, vera instrum. Conversionis Judeorum, nam quia Judei nolunt recedere a Patribus, hinc facile reduci poſſunt, ſi oſtendas Patres, idem quod nos credidisse.

V.

Quip non intelligit Kabbalam veram, tantum ridetur a Ju-deo Docto, quando illum convertere vult: Unde concludimus converſurum Judeos debere eſſe in Hebraicis & NB. Rabbinicis doctifimum.

VI.

Nam in Theologo pietas & Eruditio separari non poſſunt.

E'πτ-

* (33) *

Eπινίκιον

in
V I R I

admodum *REVERENDI* pariter ac *Celeberrimi*
D O M I N I

H E N R . I A C . v a n B A S H V Y S E N

Rectoris Gymnasi Academici Anhaltini, Scholæ
Senatoriæ Inspectoris Vigilantissimi, S. S. Theolo-
gicæ nec non Linguarum Orientalium & Historiarum
Professoris Famigeratissimi

CRITICA SACRA ex KABBALA
non falsa, magica, fabulosa illa Rabbinica, sed vera ex reli-
quiis Theologiae Judaicæ & Antiquitatum Judai-
carum elucidata,

A V G V S T I N I de S T E V B E N

Ecclesiæ Evangelicæ purioris, quæ Reformata audit & Bran-
deburgi, Potentissimi REGIS BORVSSIÆ Metropoli,
quæ Insignia Regia Electorali Dignitate a longis annis ornat,
CHRISTO colligitur, Symmictæ hoc tempore

Primarii

Anno post salutem partam *M D C C X X I I I I .*

Ætatis per Dei gratiam *LXXIII.*

Ministerii *L I .*

cursu publico transmissum.

Cum gratulatione

ad

D O M I N V M R E S P O N D E N T E M

Juvenem Doctissimum, Doctissimi Parentis Filium.

E

Cum Protoplasti justi Sanctique creati,
 Indita Lux ipsis Legis ad instar erat.
 At eheu! quantæ post tristia Fata tenebræ
 Ortæ! quæ mentes crassa caligo tenet!
 Sed Deus ex alto mox Lucem misit Olympo,
 Qua vitæ nobis nunc patefacta Via:
 Olim pendebat PIAGENS narrantis ab ore
 Veridici Vatis Fatidicique Patris.
 Postea cum Populus Sanctus numerosus in orbe,
 Verbum conscriptum mox dedit ipse DEVS.
 Atque hunc Thesaurum nobis servavit & auxit,
 Ut nobis LEX sit perpetuusque CANON
 Tum credendorum, tum sanctæ Regula vitæ,
 Extra quam nunc spes nulla salutis erit.
 Atque hic Thesaurus quoque contra charior auro
 Melleque Chrifticolis dulcius esse solet,
 Imprimis illis, quies lumina mentis aperta,
 Queis Legis sanctæ MIRA videre datum,
 Qui non, ut gelidi, contenti cortice verbi,
 Hærent in literis, nec meliora probant.
 Sed qui scrutantur Scripturas undique Sacras,
 Et verbis ingens pondus inesse vident
 Proptereaque satis perpendunt omnia juste,
 Certi, quod sacro Codice nullus apex
 Frustra, quid? minimus crebro Mysteria pandat
 Qui nisi rimetur, sudor inanis erit.
 Hinc ortum Studium Præclarum Philologicæ,
 Qua vox tum simplex ortaque fonte suo

Perve.

Perveſigatur, phraſesque ab Origine ducit
 Plus lucis ſolidæ dantque feruntque rei,
 Quam non prätabunt vel Commentaria ſpiffa,
 Quæ mittunt, quænam vocis origo fuat.
 Felix hinc merito Studioſa Juventus habetur,
 Cui prämonstratur clara levisque via,
 Qua poterit facile justam hanc pertingere metam,
 Qua ſine vix valeant abdita noſte ſacra
VIR Venerande mihi nec non Clarissime Doctoř,
 Qui ſcriptis ſolidis ſatque ſuperque probas,
TE non vulgari doctrina noſtitiaque
 In rebus fidei, qua ſine nulla falus,
 Donatum & monſtras imprimis, quod ſis in Arte,
 Kabbala dicta Sophis, Lumen in orbe pio:
 Non quæ fabellis magicis falſisque referta,
 Quam rabidus Rabbi lumine caſſus amat,
 Sed quæ Clarorum Veterum Monumenta recludit,
 Hæc **TIBI** deliciæ, quamque ſtudere juvat
 Non Juvenes tantum ſed qualem Turba Sophorum
 Omnis ſemper amat perpetuoque colit,
 Ac cuius ſtudii nullus deprenditur oſor,
 Vel ſimulac prodit, quod fit in Arte rudiſ.
 Cum **TIBI** nunc Amplæ, **VIR** Přeſtantissime, vires
 Ac animus datus eſt invigilare ſacris
 His ſtudiis, pergas impendere larga Talenta
 Quæ **TIBI** confeſſit gratia Summa Dei
 Nec cefſes porro tristes componere lites
 Hostis quas feruit, quas inimica manus
 Altercando rigat, **TVA** vero evelleré querit,
 Ut decet hic Θεον Pacificumque **VIRVM**

E 2

Sic

* (36) *

Sic benedictus eris TUA laus Nomenque manebunt,
In LIBRIS vivas atque superstes eris.
Etsi non labor hic Tibi compensabitur INGENS,
Fatis concedens præmia digna feres.
Hisce Tuis Natis & qui nascentur ab illis
Exopto vivas ipse valeque diu.

שיר ושבח לモורה לארון הרטמן אהובין
רישוף אליו אחד מין הקרים ואמר לי:
ירקש שם ווודה בצרבש בכית המזרש להפץ:
ואמרתיו למלאך ספר לי ארנו סור מרכבתך:
ויען לך ראה שופר הוומל בוד חבורך:
הלא הוא בעל אמת והאנט הקוץ וההוריכם:
בכנפי יעים משיחנן לרבר נביים הקירושים:
משבח לשון אקורש האמוכלים ורכנים:
עיקר תשובה נזיר נכבדר מען שרשם חזנים:
על כן יצילח יהיה כל ורבך ורביך אהובי:
יזד שפע השכינה בראשך הזאת סוף כתוביכי:
עד כה וברוי הצעיר בקטעים אהובך לשון הקוש

לה לא הוא חברך

WILH. HENR. van BASHVYSEN, H.I.F.

S. S. Theol. & Philol. ac Philos. Stud.
Opp. Ord.

¶¶¶ (०) ¶¶¶

3d 6020 II.

(2)

ULB Halle
003 772 209

3



TA-706

WMA Natur

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



EXERCITIVM PIETATIS LXV.
SIVE PIA AD S. C. COLLATIO SIMVL
ET DIVINORVM MINIMARUM
THEMATIS DE
VSV PHILOLOGIAE
in explicanda S. S. ad Hiobi XIX, 24. Psal. XXXVI, 9.
Lucæ IV, 18. Esa. LXI, 1.
QVOD
P R A E S I D E
Rectore Gymnasi Academici Anhaltini
HENR. IAC. VAN BASHVYSEN,
S.S. Theol. D. ejusque & Ling. Or. atque Historiarum
Prof. Ord. atque Scholæ Servest. Sena-
toriae Inspectore
A. D. XXIII. Januer. MDCCXXXIV.
ab hora VIII. - XI. matut.
inter Commititones defendet,
CHRISTIANVS AVGUSTVS HANDT,
Zicensis S. S. Theol. Stud.



S E R V E S T A E,
Typis CHRISTIANI BÖHMII, Illustr. Gymn.
Anhalt. Typograph.